



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptura, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atque Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De signis Ecclesiæ 25

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

tum frugifera, non autem infrugiferi: qui non simulata tantum specie, sed reuera ipsi adhærent, in eoque viuunt. Denique ij tantum Domini sunt, qui simul cum forma vim quoque pictatis habent: non autem, qui solam tantummodo formam habent, vim verò ipsam abnegant.

Adhuc vnum dictum allegant Aduersarij, Matth. 13. de agro, in quo zizania seminantur inter triticum, Et agrum assimilant Ecclesiæ. Verù Christus, qui est melior suorum verborum interpret, dicit, Mundum, non Ecclesiam esse agrum: quamuis eodem loco quoque dicat, Angelos in consummatione huius seculi omnia offendicula, omnesq; qui iniquè operantur, congregaturos ex regno suo, & missuros in caminum ignis. Illa vera scandala, & ij qui iniquè operantur, sunt, vt inquit Dominus, filij illius mali, diaboli, Bonum verò semen sunt, filij regni. Ergo & ex hoc dicto perspicuum est, dicendum esse, quod Ecclesia, quæ est regnum Christi, sit congregatio filiorum Dei, qui regenerati sunt: non autem etiam filiorum diaboli, sed quod ij quidem in præsentia vita inter filios Dei per diabolum seminantur.

Haftenus de prima parte huius Articuli, & de ea quæstione, Quinam reuera sint de Ecclesia Christi, aut non? Ex quo Articulo Aduersarij multa absurda, & Ecclesiæ Christi periculosa adducere solet. Quare debent Christiani, quò ad hunc Articulum, verbo Dei seipfos probè munire: quæ causa fuit, vt tantò etiam copiosius ea de re scripserimus.

Secunda pars.

*De signis Ecclesiæ.*

C A P. XXV.



**A**LTERA pars huius Accusationis circa præsentem articulum est de signis & notis monstrantibus Ecclesiam: quibus cognosci potest, quinam cœtus sit vera Ecclesia Christi: cui se adiungere debeat omnis Christianus in communicatione Christi, qui in talem cœtum vel fortuitò venit, vel in eo moratur.

Hoc loco quatuor sunt quæ reprehendunt Aduersarij. Primum est, Librum Reformationis ponere tria signa, cum sint quatuor. Secundum, Librum ponere tertium signum, cum tamen cum primo planè sit idem: atque hoc modo duo tantum manere signa. Quartum, Quod etiam de primis duobus non rectè doceat.

*Responsio.*

**Q**Uò ad primum huius Accusationis caput solidè respondeatur, aniaduertendum est. Cum vnique Christiano necessarium sit, vt vbicunque locorum existat, vbi Ecclesia Christi est, ei sese adiungat, eamque audiat. *Qui enim Ecclesiam Christi non audit, is à Christianis*

ut Ethnicus & publicanus habendus est. Matth. 18. Idcirco necesse est Christianos habere sua certa iudicia, quibus veras Ecclesias Christi cognoscere, & ab aliis sectis Iudæorum, Turcarum, & hæreticorum discernere ac dignoscere queant falsas sectas & hæreses, vitare, veræque seipso Ecclesiæ Christi adiungere.

Hæc autem signa ex S. scripturis, non ab hominibus petenda sunt. Solus Spiritus Dei nouit Ecclesiam suam, eamque nobis certò monstrat. Sic autem legimus in S. literis Matth. vlt. Christum Dominum, cùm iam esset ascensus in cælum, dixisse ad discipulos suos, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, docentes eos seruari omnia quaecunque præcepi vobis. Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Ephes. 4. docet nos scriptura in hunc modum: *Ecclesiæ esse corpus Christi, & talem membrorum eius cœtum & collectionem, hoc est, renatorum filiorum Dei, ut Christus Dominus noster, quando ascendit in cælos, alios quidem dederit Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores, ad compactionem & coniunctionem sanctorum in opus administrationis, in edificationem corporis Christi, donec perueniamus omnes in unitatem fidei, & cognitionis filij Dei.*

Hæc verba clare testantur, Vnumquémque cœtum, qui est vera Ecclesia & congregatio Christi, debere puram habere & synceram Euangelij doctrinam per quam perpetuò adificetur ad unitatem fidei & cognitionis Christi, quæ ex auditu Euangelij prouenit, & corroboratur, Rom. 10. Mandauit enim Dominus, Ecclesias suas prædicatione Euangelij colligere, & baptizatos perpetuò docere seruari, quæcunque ab ipso præcepta sunt: id quod homo omnibus diebus vitæ suæ absolutè perdiscere potest, antequam id in regeneratione ætatis plenè adultæ Christi percipiat & assequatur. Quamobrem voluit Dominus ipse esse nobiscum, tanquam caput cum suis membris, omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.

Sic igitur apparet primum signum omnium verarum Ecclesiarum Christi esse synceram doctrinam Christi, & sacrosancti Euangelij. Quo vbi non est, ibi nulla est Ecclesia Christi. Christus enim qui caput est non reliquit alijs suos: id quod citatè scripturarum loca, & alia quàm plurima manifestè testantur: imprimis verò, quæ promissionem Domini nobis de Spiritu S. nobis proponunt, quem pollicitus est Ecclesijs suis alterum paracletum, Magistrum & Doctorem, qui eos omnia docere, omniâque quæ vnquam illis dixit, in memoriam reuocare, denique in omnem veritatem inducere debeat.

Quicumque igitur cœtus aliam doctrinam, & aliud Euangelium habet præter id, quod mandauit Dominus, anathema est, & non cœtus Christi, sed Antichristi 1. Gal. 1. Ioan. 4. Primum igitur ac principale Christianæ congregationis indicium est, vera sana, & stabilis doctrina, ac prædicatio Euangelij.

Iam verò in commemoratis verbis Domini Baptismi quoque metio.

facta est, *Baptizate eos*, inquit, *in nomine Patris, &c.* Et Marc. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Ioann. 3. *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei.* Unde patet, Baptismum quoque verum esse indicium Ecclesie Christi, per quem homines Deo in regnum suum regenerantur. Ioan. 3. & Christo Domino incorporantur. *Etenim per unum spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus,* 1. Cor. 12. Unde & Ephel. 4. ubi proprietates & unitas Christiane Ecclesie plenissime descripta est, sic legitur, *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus.*

Sic apparet Baptismum quoque certissimum esse signum cœtus Dei, cum doctrina tamen coniunctum, Christus enim Baptismum doctrine inclusit. Cùm enim dixisset, *Docete, & facite mihi discipulos omnes gentes,* statim subiungit *Baptizate eos,* & rursus: *Docentes eos seruare, quaecunque precepi vobis.* Quicūq; igitur cœtus hominū vna cū vera doctrina Christi S. Baptismū legitime vsurpat, is certò est Ecclesia Christi. Cōtrā qui eum non rectè vsurpat, non est Ecclesia nec sponsa Christi. Ordinationem enim Christi non seruat, id quod vera sponsa Christi ex destinata voluntate & præsumptione in nullis rebus facit, nec facere potest; illud enim sacra Scriptura appellat Fornicari à Domino.

Ad eundem modum & Sacramentum quoque corporis ac sanguinis sui Christus Dominus discipulis suis instituit, & vsurpandum commendauit. *Bibite ex eo omnes,* inquit. *Et facite hoc in mei commemorationem,* Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & 1. Cor. 11. Itē: *Vnus panis, unum corpus multi sumus; nam omnes ex eodem pane participamus,* 1. Cor. 10. Ex his consequitur, communionem S. Cœnæ Domini quoque esse certum indicium Christiane Ecclesie, modò, sicut Baptismus, cum syncera doctrina Euangelij coniungatur, Dominus enim dicit, *Hoc facite in mei commemorationem.* Et Paulus, *Quotiescunque de pane isto comederitis, & de poculo isto biberitis, mortem Domini annuntiate, procul dubio cum incarnatione eius, Doctrina, Resurrectione, Ascensione in cœlos, & omnibus istis, quæ pro nobis factus & passus est: quæ nobis fecit & dedit, & adhuc quotidie facit & dat, & posthac facere & dare vult, hoc est, cum omnibus, quæ in sacrosancto Euangelio nobis annuntiantur.*

Hæc duo sacramenta commendauit Dominus ipse vniuersæ Ecclesie suæ, quemadmodum scriptura & antiqua Catholica & Apostolica Ecclesia testatur. Quare solent vtraque simul comprehendere, ad constituendum alterum signum verè Christianorum cœtum. Nulla enim vera congregatio Christi esse potest, quæ non post & cum vera doctrina verum quoque & legitimum amborum sacramentorum usum sit obseruatura. Omnis enim vera congregatio Christi mandatum capitis ac sponsi sui diligentissime obseruabit. *Quicumque enim Dominum diligit, mandata eius obseruat, &, Oves Christi nouerunt vocem Pastoris sui, & sequuntur eam,* Ioan. 10. Omnes igitur cœtus qui vtrumque sacramentum, post & cum syncera Euangelij doctrina rectè & legitime vsurpant, sine dubio sunt pro Ecclesia Christi agnoscendi: Qui verò fecus faciunt, non sunt Ecclesie Christi.

Tertiò:

Tertiò. Quò copiosior pietatis fructus per doctrinam & sacramenta ac quiratur, & quotidie vitę emendatio in omnibus fidelibus efficacius prouehatur, hoc quoque mandatum dedit suis Dominus, vt se inuicem ex vero amore tanquam fratres, & membra corporis sui agnoscant, & sese coniungant, ordinarię ad doctrinam, sacramentorum administrationem, Orationem & oblationem Eleemosynarum conueniant, vtque in talibus conuentibus omnia summa cum religione, pia diligentia, atque eleganti ordine, ad ædificantium presentium peragantur: Ad hæc vt præter priuatam admonitionem fraternam, & correctionem eorum qui lapsi sunt, publica quoque pœna & excommunicatio in eos exercatur, qui illi iuxta verbum Dei obnoxij sunt: idque ea ratione & modo, quo edificari & emendari possint ij, qui vel puniri vel excommunicari debent. Præter hæc omnia, quoniam à nobis requirit Dominus, vt nos inuicem non verbis in lingua, sed re ipsa & in veritate amemus, dabit quoque operam vera Ecclesia Christi, ne quis in ea patiatur rerum necessariorum defectum, quemadmodum Dominus veteri populo mandauit, Deut. xv. Equidem dixit Dominus, *Præceptum nouum do vobis, vt diligatis vos mutuo sicut dileximus, vt & vos diligatis vos mutuo.* In hac cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter vos mutua. Ioan. 13. Hæc mutua dilectio facit, vt Christiani non solum libenter in Domino sepe conueniant, quodcumque id commodè possunt, verum etiam vt fidelem operam dent se inuicem in Domino ædificandi, omnibusque rebus necessariis tam spiritualibus quàm corporalibus iuuandi. Sic enim nos dilexit Christus Dominus, & ita nobis inseruit. Huc igitur pertinet illud quoque, quod Dominus post lotionem pedum dixit, *Vos vocatis me Magistrum ac Dominum, & benè dicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & Magister, vos quoque debetis alij aliorum pedes lauare,* hoc est omnia ædificationis officia, tam spiritualia quàm corporalia, præstare, quantumuis illa sint vel magna vel exigua, Matt. 18. Sic inquit, *Si peccauerit in te frater tuus, vade & argue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si vero te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum aut alterum, vt in ore duorum aut trium testium consistat omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesie, quòd si Ecclesiam non aud. erit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus. Amen amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta in cælo. Rursus dico vobis, si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quam petierint, fiet illis à patre meo qui in cælis est: ubi enim sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio illorum.*

In his verbis Domini habemus primùm charitatem fraternam, si peccauerit, inquit, frater tuus, Deinde fraternam & priuatam correctionem: si peccauerit in te frater tuus, vade & argue eum inter te & ipsum solum. Item, si non audierit te, adhibe tecum adhuc vnum aut alterum. Tertiò, conuentum fratrum in Domino, si non audierit illos, dic Ecclesie. Ad quod sanè perficiendum, oportet vt sit Ecclesia congregata & collecta. Quartò, ordinem antistitum & præfectorum in Ecclesia

qui nomine totius Ecclesiæ peccatorem arguere debent, si non audierit Ecclesiam. Tota enim Ecclesia simul non potest vnum peccatorem admonere & reprehendere, sed oportet vt id faciant ordinarij Antistites Ecclesiæ. Omnia enim ordine & decenter in Ecclesia fieri debent. In eo quoque, quod dicit si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quam petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis est. Item, vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, &c. Quintò, Excommunicationem, *si non audierit Ecclesiam, sit tibi velut Ethnicus & publicanus.* Sextò, Potestatem Ecclesiæ: *quicquid ligaueritis in terra, &c.*

De hac proprietate Christianorum cœtuum, piorum conuentuum ad doctrinam, admonitionem, laudem Dei, orationem, correctionem & excommunicationem, & quemadmodum hæc omnia decenti ordine, & ad communem fidelium ædificationem exerceri debeant, Spiritus sanctus cum alijs, in tota scriptura id multipliciter docuerit, tum verò maximè & præcipuè huius negotij meminit. 1. Cor. 5. 11. & 14. In quinto capite requirit Spiritus S. vt tota Corinthiorum Ecclesia conueniat, cū is qui noueram suam pro vxore habuerat, esset. excommunicandus & tradendus Satanæ. In 11. verò postulat, vt tam viri quàm mulieres decen- te habitu in Ecclesia compareant: ad sacram Domini Cœnam alter alterum expectet, eamque in commune in vera charitate & vnanimitate celebrent. In 14. vult, vt homines frequenter conueniant, & in congregatione fidelium, verba Dei ad doctrinam, admonitionem, & consolationem, hymnorum quoque cantationem, & precessionem, exercent, idque intelligibiliter eleganter & ordine, vt ad ædificationem totius Ecclesiæ conducere possit. Heb. 10. sic dicitur de congregationibus & conuentibus. Consideremus nos inuicem, in hoc vt prouocemus ad charitatem & bona opera, non deserentes aggregationem nostri mutuâ, sicuti mos est nonnullis: sed adhortantes inuicem, idque hoc magis, quòd videtis appropinquantem diem.

Exempla talium congregationum & conuentuum ad doctrinam, hortationem, Psalmorum decantationem, orationem, oblationem, correctionem & excommunicationem, plurima habemus in sacris literis, eaque admodum insignia cū in veteri tum in nouo testamento, quomodo Christus Dominus ipse, statim in Ecclesia sua Hierosolymam in Ecclesiam Dei, ad orationem, verbum & oblationem primò fuerit adductus, postea verò ipse cum suis in omnibus festis apparuerit, quomodo vbiq; in sabbathis synagogas frequentarit, in eis sacram scripturam legerit, & explicauerit, ex iisque populum & docuerit & admonuerit.

Huius meminerunt omnes Euangelistæ. Sic in principio Ecclesiæ Christi, cū Dominus iam in cœlos ascēdisset, narrat Lucas Euangelista, quomodo Apostoli vnà cū mulieribus, matre Domini, & fratribus eius, fuerint in vnum collecti, & perseverauerint in deprecatione & obsecratione: item quòd electio Matthæi in ecclesia congregata & collecta facta fuerit Act. 1. item quomodo Apostoli & discipuli Domini in die Pentecostes etiam in ecclesia ad orationem collecta, Spiritum Sanctum acceperint: ac postea quotidie frequentes ad precandum in templo conuenerint.

uenerint : panem per singulas domos fregerint, omnia communia habuerint, unicuique denique quantum sua exigebat necessitas, subministrauerint. Act. 7. Cuius rei Euangelista tertio quoque & quarto cap. mentionem facit, & testatur, multitudinis credentium cor unum & animam unam fuisse, & cap. 5. commemorat Euangelista, quomodo Petrus Ananiam & uxorem eius verbo interfecerit. Et 6. quomodo Apostoli simul cum tota multitudine discipulorum septem diaconos ad procurationem viduarum & egenorum elegerint. In 13. quomodo à multitudine collecta ieiunia & orationes habitę sint, cum Paulus & Barnabas in Apostolos gentium ordinandi & emittendi essent. In 15. quomodo disputatio de ceremoniarum Moisaicarum obseruatione coram tota fidelium multitudine collecta habitafuerit. Denique in 20. quomodo Paulus coram tota multitudine se purgare coactus fuerit, de eo, quod accusabatur, quasi Iudęos inter gentes doceret legem Moſis non obseruare. Talibus exemplis ut dictum est, Scriptura & in veteri & in nouo Testamento scetet.

Et quoniam Domino sic placuit, suos quasi membra compingere, & opus ædificationis ipsorum omnium per eos omnes efficere, ut elegantissimè Paulus id describit Rom. 14. & 1. Cor. 12. & Ephes. 4. Veteribus eiusmodi conuentus ad orationem, ad oblationem, ad correctionem & excommunicationem seuerissimè mandauit, aded ut excisurum se è populo suo minatus sit omnem qui eiusmodi conuentus negligeret, Genes. 17. Exod. 12. & 13. Leuit. 33. & aliis quàm pluribus locis.

Ex his omnibus clarum est videre, Christianis maximè proprium esse, ut ubicunque conuenire possunt, arctissimam & fidelissimam communionem inter se exerceant, suosque ordinarios conuentus, simul in Domino celebrent, ad audiendum verbum, ad orandum, ad laudandum Deum, ad offerendum pro pauperibus, ad recipienda sacramenta, ad correctionem & excommunicationem: idque totum ardenti & inflammato studio, summa religione, modestia & obedientia.

Hęc igitur communicatio & disciplina tertium signum est Christianorum cœtuum, nulla enim vera congregatio Christi esse potest, quę hanc à Christo traditam & institutam ordinationem ac disciplinam deserit. Quicunque igitur cœtus hanc communicationem & disciplinam rectè obseruat, hoc est, iuxta verbum Dei is reuera est Ecclesia Christi. Notandum verò quod dicitur, iuxta verbum Dei, Nam & Turcæ, & Iudæi, & hæretici, suam quoque communicationem, suos ad religionem peragenda conuentus, & sæpenumero seueram disciplinam exercent, sed non iuxta verbum Domini.

Porrò cum doctrina & adhortatio, vsus Sacramentorum, disciplina & alia Ecclesię exercitia ordine ac decenter fieri debeant, & semper ad ædificationem fidei in Christum, requiritur ad hoc, ut singulis Ecclesiis Christi sui constituentur idonei, fideles & probati & in culpa-ri presbyteri atque diaconi, utque his totę ecclesię, & singuli

in iis homines debitum & conuenientem honorem exhibeant, & obedientiam spontanei præstent, id quod Christi Matthæi, Marci & Ioannis vlt. mandauit, & Apostoli diligenter obseruarunt, alióque obseruare docuerunt, Act. 1. 6. 13. 14. Rom. 12. 1. Cor. 3. 4. & 12. Ephes. 4. 1. Thess. 2. & 5. in epistolis ad Timoth. & Titum per totum, Heb. 13. Hæc verò Christianorum cœtum proprietas, comprehensa est in memoratis tribus veræ Ecclesiæ signis. Nam quemadmodum Doctrina, sic etiam sacramenta & disciplina, suas requirunt ordinarios ministros, per quos iuxta mandatum Domini rectè administrari, dispensari, & perfici possint. Ad hæc eiusmodi ministerium, siquidem ædificationem operari debeat, postulat, vt tanquam Christi ministerium agnoscat, & in honore ac precio habentur.

Sic apparet omnia veræ Christianorum cœtum indicia, quibus vnæquæque Ecclesia in memoratis tribus Ecclesiæ signis esse comprehensa.

Verùm si singulas Christianæ Disciplinae & Oeconomiae partes quis separatim numerare veller, posset tertium signum Christianæ notitiæ, disciplinae & obedientiæ, bene in decem alia transfundere. Vt primum esset, Confessio, & initialis sui ipsius in communionem & obedientiam Christi, atque ecclesiæ eius traditio. Secundum, Sacri conuentus, Tertium Presbyterorum & ordinariorum ministrorum constitutio. Quartum, Ordinatio temporum in Domino conueniendis diebus vel festis. Quintum Scripturarum lectio & interpretatio. Sextum, Precatio, & Psalmorum decantatio. Septimum, Communis oblatio pro pauperibus. Octauum, Publica & ordinaria pauperum procuratio. Nonum, Priuata & publica peccatorum redargutio. Decimum, Excommunicatio obstinatorum, qui apertè peccare, & Ecclesiam offendere pergunt.

Hæc equidem omnia mandauit & instituit Dominus Ecclesiæ suæ. Quapropter vera Ecclesia Dei, quæ à Christo Domino & sponso suo non fornicatur, verbúmque eius non deserit, his omnibus summa fide ac diligentia studebit. Quæ verò id facere negligit, eo ipso demonstrat, se non esse Ecclesiam & sponsam Christi. Etsi enim in eiusmodi lapsis Ecclesiis, quales temporibus Prophetarum erant, & adhuc hodie, pro dolor! sunt, semper multa adhuc reperiantur vera Ecclesiæ Christi membra: Euangelium quoque, Baptismus, & alia multa, à Christo Ecclesiis suis ordinata & instituta, ibi exercentur, & ad salutem piorum efficacia sint, quatumuis malè interdum administrantur, tamen quoniam memorata mandata & ordinationes Domini nõ publico & communi studio obseruant, Ecclesias Christi se esse gloriari non possunt. *Qui enim dicit quod nouerit Christum, præcepta verò eius non seruat, mendax est, & veritas in eo non est.* 1. Ioan. 2. Ad hæc oportet vt verbum Domini verum sit, qui dicit, *Oues suas audire vocem eius.* Ioan. 10. Sic etiam vera Ecclesia Christo capiti & sponso suo verè subdita est, amat ipsum, & custodit verbum illius. Quod quicumque populus aut cœtus non facit, quicquid is de Deo doceat, quamuis sacramenta percipiat, aut alia etiam à Deo tradita & commendata faciat, populum tamen aut cœtum Dei esse Prophetæ negant, quin potius testantur, populum esse deficientem

& for-



& fornicantem à Deo.

Hęc omnia in libro Reformationis compendiaria ratione (sicut & alij articuli, & eiusmodi libri proprietates requirit) plenè tamen & expressè commemorata & tradita sunt, id quod videre licet in articulo De Ecclesia. Adhęc nullum est signum Ecclesię in vniuersa scriptura traditum, quod non sit in tribus enumeratis iudiciis comprehensum.

Pręterea scriptura certum numerum proprietatum & signorum Ecclesię nullibi expressit. Possent omnes comprehendi vel sub vno tantũ, Communionem videlicet Christi: vel sub duobus, Doctrina & ceremoniis, vel sub tribus, Doctrina, Sacramentis, & Disciplina. Vel sub quatuor, Doctrina, Sacramentis, constitutione ministrorum, & antistitem Ecclesię, obedientiãque reliquę plebis: vel pluribus adhuc discrimini- bus & lectionibus distingui, modò memoratę proprietates & notę omnes comprehendantur, nec vlla omittatur.

Ex his omnibus clarum est, librum Reformationis propterea quod proprietates & certa iudicia Ecclesię Christi, sub tribus enumeratis notis complexus est, sine causa reprehendi. Nam S. scriptura, quemadmodum demonstratum est, nullam omnino proprietatem aut signum Ecclesię Christi commemorat, quod non in tribus istis includatur, & in libro quoque disertè & expressè ponatur.

Et hætenus ad primam partem secundę Accusationis responsum esto.

### *Tria Ecclesię signa.*

#### CAP. XXVI.

**D**orrò quod criminantur, tertium signũ cum primo planè idem esse, cum primum sit doctrina: tertium verò Doctrinę confessio, ad hoc respondetur. Liber Reformationis non tantũ Doctrinę confessionem ponit tertium Ecclesię signum, sed confessionem verę doctrinę in inuocatione, & alijs, quando Confessio requiritur, vnã cum Christiana disciplina, & obedientia: id quod in sequenti Articulo de Vniuersitate Ecclesię copiosius declaratur. Hęc sanè non sunt eadem cum Doctrina.

Sed sit sanè solum Doctrinę confessionem esse positam, non tamen esset vnum & idem cum doctrina iudicium. Fieri enim potest, vt in aliquo cętu doctrina rectè & legitime administraretur, ille tamen cętus nõ sit Ecclesia Dei, hanc solam ob causam, quod publicam doctrinę confessionem & executionem non habet. Quemadmodũ sepè inter Iudęos contigit, qui temporibus Prophetarum per Prophetas, temporibus Christi & Apostolorum per Christum & Apostolos sinceram doctrinã Dei habebant. Quoniam verò publicè, hoc est, Ordinarij magistratus, sacerdotes, Prophetę, Seniores & maior pars populi sanam doctrinã non recipiebant, non confitebantur, Deum non inuocabant, in obedientiã legis vel euangelij se non tradebāt, iam cętus eorũ nõ erat ecclesia Dei,